

παρόντι λεύσσειν, ὧν πρόθυμος ἦσθ' αἰεί  
τὸ γὰρ παλαιὸν Ἄργος οὐπόθεις, τόδε,

locos conferant, quibus libet videre, quomodo  
similia similiter dicantur.

V. 3. Citat Suidas v. πρόθυμος.

V. 4. Brunckius ex cod. E. qui est Parisinus n.  
2884. edidit, τόδε γὰρ παλαιὸν Ἄργος, οὐπόθεις·  
τόδε, τῆς οἰστροπλήγος ἄλσος Ἰνάχου κόρης. In-  
terpunctionem hanc ipsi Brunckio deberi arbi-  
tror. Caeteri libri recte, τὸ γὰρ παλαιὸν Ἄργος,  
οὐπόθεις, τόδε, vel propter anapaestum, quem  
vetus tragoedia in primo pede sic tantum ad-  
mittit, si in una voce sit: v. praefat. nostram ad  
Eurip. Hec. p. LIV. seqq. Monkius in Museo  
crit. Cant. l. c. ita scribendum putat, τὸ γὰρ  
παλαιὸν Ἄργος, οὐπόθεις, τόδε τῆς οἰστροπλήγος  
ἄλσος Ἰνάχου κόρης, ita ut Ἄργος accusativus  
sit, hoc sensu: quod ad Argos attinet, cuius sem-  
per cupidus eras, hic est locus Inachi filiae.  
Nobis haec, uti non satis simplex, ita parum  
apta explicatio videtur. Nam de re, quae pri-  
maria est, non est ita dicendum, ut eam obiter,  
et quasi oblitus fuisse videare, commemorare.  
Non videntur putasse, Ἄργος dici posse ἄλσος  
Ἰνάχου κόρης. Quasi non audacius etiam Euri-  
pides in principio Electrae dixerit, ὦ γῆς πα-  
λαιὸν Ἄργος, Ἰνάχου ἱοαί. Musgravius, quia  
τόδε de loco, in quo iam constiterint, sermonem  
esse ostendat, Mycenae autem ab Argis quinquaginta  
stadiis, i. e. ultra sex millia passuum, se-  
cundum Strabonem p. 368. D. remotae fuerint,  
Ἄργος de regione, non de urbe intelligendum  
contendit: ἄλσος enim quemvis locum numini  
cnicumque consecratum indicare: quod firmat  
exemplis et auctoritate scholiastae Pindari ad  
Ol. III. 31. Brunckio probabilius videtur, ur-